

quitur, illis verbis : « Hoc autem aestimare oportet eum, qui jus dicit, pro conditione causæ, vel personæ, vel temporum : et ita ordinem edictorum, et compendium (id est, numerum dierum) moderari. » Adde textum in c. *Consuluit*. 24. § fin. *de Offic. delegat.*

31. *Termini dilationum a jure constituti, hodie communiter non servantur.* — Notant in super doctores post Abbatem in cit. cap. 1, n. 7. h. t., quod de consuetudine termini dilationum a jure constituti, communiter non servantur; sed vel in specialibus statutis exprimentur, vel iudicis arbitrio relinquuntur moderandæ, per jura hactenus allegata; quamvis circa hoc consuetudo fori cumprimis attendenda sit.

32. *Omnes dilationes hodie videntur arbitrariæ; et quomodo?* — Addit Glossa in c. *Præterea*. §. *Plene potuit*. h. t., et Vallensis eod. n. 6, quod moribus hujus sæculi, omnes dilationes a jure statutæ hodie videantur arbitrariæ : non quidem sic arbitrariæ, quasi eas iudex pro libitu concedere possit, vel denegare (nam si hoc contra juris constitutionem attentaretur, locus foret appellationi, propter injustum gravamen parti illatum, arg. cap. 1, h. t., juncta l. I. eod.); sed quia, ut dictum, pro varietate circumstantiarum eas moderari potest, vel prorogare, ac proinde potius termini dilationum sint arbitrarii, quam ipsæ dilationes. Concordant dicta superius n. 28, et dicenda inferius, n. 43.

33. *Dilationes deliberatoriæ, quæ?* — Quæritur II. Quæ sint dilationes deliberatoriæ, et quales de jure concedantur? Resp. I. Dilationes deliberatoriæ sunt, quæ post oblatum libellum dantur reis ad deliberandum super petitis in libello. Ita Abbas in d. cap. 1, n. 15, h. t. Hostiensis in *Summa*, h. t., n. 1, et alii. Et quidem dilatio deliberatoria ad hoc datur reo, ut deliberare valeat, etiam consulendo doctores, quid respondeat ad libellum; et an litigare velit, vel cedere; aut iudicem ut suspectum recusare, vel aliquam exceptionem proponere. Auth. *Offeratur*. c. *de Litis contestat.*

34. *Dantur reo, non autem actori; et cur?* — Dicitur, *Reo*. Siquidem dilatio deliberatoria conceditur dumtaxat reo, non autem actori. Quia enim actor provocat ad iudicium, is instructus venire potest, ac debet, sicque nulla ei talis dilatio ab initio datur : secus est in reo, utpote qui præter spem in iudicium trahitur, et instructus venire non potuit, l. *Si quando*. C. *de Dilation*. et can. *In-*

ducia. § *Spatium*. 3, q. 3, juncta Glossa ibid. §. *Deneganda*.

35. *Limitatur hoc posterius.* — Quod si vero reus excipiat, tunc etiam actori danda erit dilatio deliberatoria, ut et ipse deliberare possit, etiam doctores consulendo, an et quomodo replicare valeat, nam super illo puncto exceptionis non potuit venire paratus. Glossa, loc. cit. Ab initio tamen actori non conceditur talis dilatio, quia instructus venire potuit, ac debuit, ut dictum : quanquam dilatio data reo, etiam prosit actori, l. *Petendæ*, C. *De in integr. restitut.*, ac proinde actor habeat per alium, quod non potest habere per se ipsum. Speculator h. t. § *Videndum*. 14, n. 12; Abbas c. *Præterea*, n. 13 eod.

36. *Tempus dilationum deliberatarum de jure sunt viginti dies.* — Resp. II. Spectato jure communi, tempus dilationum deliberatarum sunt viginti dies a die porrecti reo libelli computandi. Auth. *Offeratur*. c. *de Litis contestat.*

37. *Hos juxta Glossam, nequit iudex minorare.* — Et hos quidem viginti dies non potest iudex minorare, sicut nec decem dies, qui dantur ad appellandum; prout tradit Glossa in cit. Auth. *Offeratur*. §. *Viginti dierum* : addens, quod jura, quæ indicant tempus istud dilationum per iudicem abbreviari posse, loquantur de dilationibus ab homine datis; non autem de induciis, quæ conceduntur a lege.

38. *Oppositum est tenendum stante causa rationabili.* — Oppositum tamen, videlicet istos viginti dies ex causa rationabili, et secundum quod visum fuerit iudici expedire, posse minorari, tenet Glossa fin. in c. *Dilectus*, 11, *de Procurat.*; Abbas c. *Præterea*. n. 15, h. t.; Bartolus in cit. Auth. *Offeratur*. § *Quæro, utrum ista dilatio*, dicens, cum ista dilatio detur ministerio iudicis, posse eam minui causa cognita; ut l. I. ff. *de Re judicat.*, et plures alii.

39. *Solvitur fundamentum Glossæ.* — Nec urget instantia de induciis decem dierum ad appellandum concessis. Nam ibi iudex nihil habet officii. c. *Quod ad consultationem*. 15, *de Sentent. et re judic.* Secus est in proposito, ubi iudex debet attendere ad personarum et negotii qualitatem, aliasque circumstantias, quæ nonnunquam ita possunt urgere, ut necesse sit, tempus a lege præfixum abbreviari. Glossa fin., loc. cit.

40. *Longe magis ex causa rationabili potest tempus illud prolongari.* — Longe magis ex

§ III.

DE DILATIONIBUS PROBATORIIS, DIFFINITORIIS, ET EXECUTORIIS.

causa rationabili potest tempus istud viginti dierum prolongari : ut puta, ob distantiam locorum, vel si reus in alia ardua causa publicam utilitatem concernante occupetur; adeo, ut intra memoratorum terminum viginti dierum non possit super ista privata causa sufficienter deliberare, neque alia necessaria ad respondendum tam cito explicare, aut hujusmodi : prout desumitur ex cap. ult. h. t., et c. *Cum sit Romana*. 5. *de Appellat.* et cit. c. *Dilectus*. 11. *de Procurat.* Ubi Glossa §. *Cedere*, inde concludit, quod hujusmodi induciæ deliberatoriæ, etiam arbitrariæ sint : quia per jura allegata debent moderari secundum locorum distantiam, et personarum ac negotii qualitatem, licet dicantur viginti dierum induciæ. Consentit Abbas in c. *Præterea*. n. 13, h. t., et Vallensis eod. § 1. n. 8. Barbosa, cap. 1, n. 3 h. t., et alii.

41. *Dilatio deliberatoria non datur reo, quando per litteras citatorias potuit plene instrui, ac deliberare.* — Resp. III. Nihilominus dilatio deliberatoria non conceditur reo, quando per litteras citatorias, vel transmissum simul libellum actoris, plene potuit instrui, atque deliberare super eo, de quo quæritur. Ita habetur decisum in c. *Præterea*. 2 h. t. ac notat Abbas ibid. in *Summario*, et Barbosa, n. 1, cum aliis. Ratio est, quia superflue dilationes sunt denegandæ, l. I. c. *de Dilation.*, juncta Glossa. ibid. §. *Flagitaverit*, et ubique amputandæ, l. II, § 1, c. *de Temporib. appellat.* Atqui nova dilatio deliberatoria superflueret, si reus per litteras citatorias, vel insertum ipsis libellum actoris, plene potuit instrui : quinimo tunc nova dilatio videretur peti dumtaxat differendi iudicii causa; ergo.

42. *Practica excludendi dilationes deliberatorias, ejusque declaratio.* — Et hac de causa recte monet Glossa in cit. c. *Præterea*. §. *Plene potuit*, et Abbas, ibid. n. 2, h. t., cum aliis, cautelam et practicam optimam excludendi tales dilationes deliberatorias esse, si litteris citatoriis addatur copia libelli ab actore porrecti, vel aliquid aliud, ex quo certificetur reus, super quo conveniatur, et qua actione. Oportet tamen, quod terminus in citatione præfixus talis sit, ut quis non solum comparere in iudicio, sed etiam sufficienter deliberare valeat, num cedere, vel contendere debeat : alioquin enim cessaret ratio ex cit. c. *Præterea*. h. t. proxime allata; consequenter concedendæ forent novæ induciæ ad deliberandum.

quantum temporis actori concessum fuit, tantum etiam reo, si velit, concedendum sit. Quia « non debet actori licere, quod reo non permittitur, » uti habetur in l. *Non debet actori*. ff. de Reg. juris. Nam favoribus favorabiliores sunt partes rei, quam actoris, l. *Favorabiliores*. ff. eod., cum similibus.

47. *Dilationes probatoriæ in causis criminalibus reo ter, accusatori bis concedantur.* — Quæritur II. Utrum dilationes probatoriæ sæpius sint concedendæ? Resp. I. Loquendo de causis capitalibus, seu criminalibus, possunt reo dari tres dilationes, accusatori vero duæ; sed utrinque causa cognita. Textus est in l. ult. ff. de Feriis. Ubi Glossa magna in fin.; Bartolus, § *Ultimo quærit.*, et Jason, n. 32, notant, quod in criminalibus magis faveatur reo accusato, quam actori accusanti; atque ideo illi causa cognita tres concedantur dilationes, huic autem tantum duæ. Nec obstat, quod in cit. l. ult. de Feriis, videatur esse mentio de solis causis capitalibus: nam idem procedere in quibuscumque causis criminalibus, secundum communem, et a consuetudine adprobata opinionem, recte notat Prosp. Farinacius, l. I. *Criminal.* tit. 5. quæst. 39, n. 5, et Julius Clarus in *Practica criminali.* § fin., quæst. 48, n. 2.

48. *In causis vero civilibus regulariter sunt peremptoriæ, nec nisi semel conceduntur.* — Resp. II. Nihilominus in causis pecuniariis, aliisque civilibus, dilatio probatoria regulariter est peremptoria, ita ut pro singulis causis non nisi semel concedi possit. Textus est in cit. l. ult. ff. de Feriis, et l. *Oratione*. ff. eod., ac tradit Glossa in c. *Præterea*. §. *Plene potuit*. h. t.; Abbas in c. *Licet*. n. 4 de Probation.; Maranta, part. VI *Speculi aurei*. tit. de *Dilatione*. n. 2; Gailus, l. I. *Practic.* observat. 91, n. 1, ac seqq., et communis. Idque merito fuit statutum, ne alioquin ejusmodi lites pecuniariæ, aliæque civiles, fiant prope modum immortales, causaque super ipsis plus æquo protrahatur. Accedit quod non de tanto præjudicio agatur in civilibus, sicut in capitalibus seu criminalibus causis, unde non mirum, plures hic admitti dilationes probatorias: satius enim est, nocentem dimitti, quam innocentem condemnari. l. *Absentem*. ff. de Pœnis.

49. *Etiam si non addatur ly peremptoriæ.* — Et nota, quod dilatio probatoria in causis civilibus censeatur peremptoria (hoc est, ut non nisi unica regulariter concedi debeat) etiam si in concessione ipsius non addatur ly

« peremptoria. » Siquidem ex juris dispositione jam subintelligitur, per textum notabilem in l. 1, c. h. t., cum concordantiis. Maranta, cit. n. 2; Pirhing, h. t. n. 16, et alii.

50. *Solvitur instantia de citatione peremptoria.* — Nec obstat, quod citatio non censeatur esse peremptoria, nisi addatur clausula *peremptoriæ*. Resp. enim disparitatem esse: quia de jure communi requiritur tria citatio, nisi fiat una peremptoria; adeoque, ut citatus intelligat, nullam aliam citationem a se expectari posse, necessario addi debet clausula illa, *peremptoriæ*. Secus est in dilatione probatoria, utpote quæ de jure communi non nisi semel conceditur, saltem regulariter, ac nisi aliud postulet justa aliqua causa.

51. *Corollarium.* — Infertur proinde, quod si in causis civilibus post terminum primæ dilationis probatoriæ velit judex novam hujusmodi dilationem concedere, possit ac debeat pars inde gravata contradicere: alioquin enim sibi præjudicaret, juxta dicenda n. 58. Et si post lapsum dicti termini actor, vel reus conetur facere novas positiones, illis non tenetur pars altera respondere arg. cap. II. de *Confessis*, in 6. ibi: « Absque rationabili causa: » et notat Jason cit. l. I. in *pecuniariis*, n. 13. ff. de Feriis.

52. *Etiam in causis civilibus conceduntur plures dilationes probatoriæ, si antea aderat justum impedimentum probandi.* — Additur notanter n. 48 « regulariter. » Nam imprimis fallit data conclusio, si justum impedimentum a parte litigante allegetur, et probetur, ratione cujus intra terminum primæ dilationis non poterat suas probationes sufficienter instruere. Quia tunc, si nova dilatio petatur, poterit eam judex concedere, causa tamen prius cognita saltem summariter, an ejusmodi impedimentum sit legitimum, per textum in cit. l. *Oratione*. ff. de Feriis, ibi: « Sed utilitatis litigantium gratia, causa cognita, iterum dilatio tam ex eadem, quam ex alia provincia, secundum moderamen locorum impertiri solet: et maxime, si aliquid inopinatum emergat. » Hæc ibi.

53. *Vel si novæ probationes superveniant.* — Deinde fallit eadem conclusio, quando post elapsam terminum primæ dilationis probatoriæ superveniunt litiganti novæ probationes, ipseque jurejurando fidem faciat, quod postea primum ad earum notitiam pervenerit: tunc enim ad eas producendas potest dari nova dilatio, c. *Pastoralis*, 4. de *Exception.*;

Maranta, loc. cit. n. 6; Pirhing, h. t. n. 17, et alii. Et merito: nam ea, « quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio, » ut dicitur l. *De ætate*. § *Ex causa*. ff. de *Interrogat. action.* ac notat Glossa c. *Seiscitatus*. §. *Infamem. de Rescriptis*. et Jason l. *In pecuniariis*. n. 47. ff. de Feriis.

54. *Et tunc potest concedi non solum secunda, sed etiam tertia, et quarta.* — Et quidem in allatis casibus non solum secunda dilatio, sed etiam tertia, imo et quarta (servata tamen solemnitate legali) a judice concedi potest, nunquam vero quinta, Auth. *At qui semel*. c. de *Probation.* et c. *In causis*, 15. et c. *Ultra tertiam*. 55. de *Testibus*. Ita tamen, ut in concessione secundæ, et tertiæ dilationis, judex antea cognoscere debeat de rationabilitate causæ: alioquin enim secunda, ac tertia dilatio, ipso jure foret nulla, et per consequens etiam totus processus nullus; prout desumitur ex c. *Pastoralis*, 4. de *Exception.* ibi: « Nullatenus audiatur: » et amplius ex l. *In pecuniariis*, ubi Bartolus, § *Sed quero quid si;* et Jason, n. 23 et 25. ff. de *Feriis, et dilation.*; Gailus, l. I. *Practic.* observat. 91, n. 4. citans alios. Quod intellige, nisi forsitan pars adversa consentiat, juxta dicenda n. 57 et 58.

55. *Ad quartam tamen requiritur solemnitas legalis; et qualis? Fallit hoc in hærede, vel successore alterius, utpote cui indistincte nova dilatio danda est.* — Porro, ut quarta dilatio concedatur, requiritur insuper solemnitas legalis, nempe, quod eam petens juramento prius præstito contestetur, se non malitiose in suis probationibus cunctatum, neque dolose quartam dilationem exposcere, cit. c. *Ultra tertiam. de Testib.* juncta Auth. de *Testibus*. § *Quia vero*, collat. 7. Verumtamen dictum istud, quod quarta dilatio non concedatur, nisi allegentur causæ relevantes, eamque petens juret, ut supra, fallit in hærede illius, contra quem coeptum est judicium: nam huic ulterior dilatio absque onere dictæ solemnitatis legalis conceditur, sicut etiam successor, licet ejus prædecessor jam obtinisset quartam dilationem: siquidem indistincte hæredi, vel alteri successor, causa tamen cognita, nova dilatio danda est, l. *Oratione*. juncta Glossa fin. et doctores ibid. ff. de *Feriis*; Speculator, tit. de *Teste*. 6. *Qualiter autem*. n. 9, post Vincentium c. *Significaverunt. de Testib.*; Hercules Marescottus, l. I. *Variar., resolut.* cap. xci, n. 14; Mynsinger. *Singul. observat.* cent. 1, observ. 71.

56. *Plures illæ dilationes probatoriæ conceduntur gradatim ex graviore causa.* — Et hactenus dictis adde illud, quod notat Glossa in l. ult. ff. de *Feriis*, ac Speculator, h. t. § *Videndum*, n. 19, videlicet, quod prima dilatio probatoria detur cum levi causæ cognitione secundum moderamen locorum, nisi evidens appareat calumnia. Secunda tunc demum detur, si quis probet, se justa causa impeditum fuisse in prima. Tertia vero, et quarta dilatio, solum ex gravissima causa concedatur: nec quarta sine solemnitate legali, ut proxime dictum. Ac per hoc possunt concordari jura juribus, quæ cæteroquin apparerent contraria.

57. *Valet dilatio probatoria, quæ datur partibus præsentibus, et non contradicentibus. Imo de partium consensu potest etiam omitti solemnitas legalis ad quartam dilationem requisita.* — Tandem, ut nonnulli alii casus taceantur, fallit data n. 48 conclusio, et regula, quando secunda, vel ulterior dilatio probatoria datur partibus expresse consentientibus, vel saltem præsentibus, et non contradicentibus. Quia hoc ipso partes tacite consentire censentur; sicque valida erit dilatio, nec partes postea processum secutum ulterius impugnare valent, arg. cap. ult. de *Accusation.* in 6; Gailus, l. I. *Practic.* observat. 91, n. 6, post Abbatem c. *In causis*, circa finem; de *Testib.* et alios; ac Jason l. *In pecuniariis*, n. 15. ff. de *Feriis*, citans alios. Atque istud ampliatur ad solemnitatem legalem, quæ requiritur in quarta dilatione concedenda: nam etiam hæc de partium consensu omitti potest; quemadmodum in simili, juramentum testium remitti potest, c. *Tuis questionibus*. 39, juncta Glossa, §. *Remittatur. de Testib.* cum similibus. Unde, si parte non contradicente detur quarta dilatio absque memorata solemnitate legali, valent attestations testium tunc receptæ; eo quod non fuerit contradicendum, neque appellatum, sicque pars altera tacite eisdem consenserit. Abbas cit. c. *In causis*. n. 3 et 4., et Felinus, ibid., n. 4, ff. de *Testib.*, post Innocentium ibid., et Bartolum in l. fin. ff. de *Feriis*, et communiter alios.

58. *Quoties judex facit actum parti alicui præjudiciale, debet pars contradicere; alias sibi præjudicat.* — Accedit ratio: quia, quoties judex facit actum, qui potest esse præjudicialis parti, debet pars expresse contradicere: alias sibi præjudicat, arg. l. I. c. de *Relat.*, et notat Bart. ibid. §. *Ultimo nota*: et

post ipsum Maranta, cit. part. VI, § de *Dilationibus*, n. 12, inde pariter concludens, quod dilatio, quæ dari non deberet, et datur utraque parte præsentem, nec contradicente, valeat: et ad idem facit textus in cit. cap. ult. de *Accusatione*. in 6. Et hinc inolevit stylus in curiis, quod scribatur in actis aliquid esse factum « hoc præsentem parte contradicente, et protestante, » vel non.

59. *Dilationes diffinitivæ, quæ?* — Quæritur III. Quæ sint dilationes diffinitivæ? Resp. Dilationes diffinitivæ sunt, quæ dantur ad causam definiendam: ut si iudex citavit partes pro tali die ad audiendam sententiam diffinitivam; prout habetur casus in c. *Consuluit*. 24, de *Offic. delegat.*

60. *Hæ non sunt peremptoriæ, potestque iudex sententiam differre in sequentem diem.* — Porro hæ dilationes suapte natura non sunt peremptoriæ, potestque secunda et tertia addi, nisi præfigantur cum termino peremptorio: imo etiam hoc præfixo, si alterutra pars die statuto non comparuerit, potest iudex sententiam diffinitivam differre in sequentem diem; dummodo, si est delegatus, sua jurisdictio necdum expiret. Textus est in cit. c. *Consuluit*. § *Nos autem*. Ubi tamen recte subjungitur, quod iudex discretus in assignatione talis termini peremptorii, non debeat jurisdictionem suam (nisi necessitas exigat) adeo coarctare.

61. *Dilationes executoriæ, quæ?* — Quæritur IV. Quæ, et quantæ sunt dilationes executoriæ? Resp. I. Dilationes executoriæ sunt, quæ dantur reo per sententiam condemnato ad satisfaciendum. Hostiensis in *Summa* h. t. n. 1, et communis.

62. *Et quantæ?* — Resp. II. Quantæ hæ sint dilationes, seu ad dignoscendum, pro quanto tempore dilationes executoriæ sese extendant, oportet distinguere inter actiones personales, reales, et criminales. Ita Speculator, tit. de *Dilationibus*, § 1, n. 24; Hostiensis cit. n. 1, et alii.

63. *Hæ in actionibus personalibus regulariter sunt quatuor mensium.* — Et quidem in actionibus personalibus dilationes executoriæ regulariter sunt quatuor mensium, qui de jure conceduntur reo condemnato ad solvendum; uti liquet ex c. *Quærenti*. 26, juncta Glossa §. *Quadrimestre*. de *Offic. delegat.*, et l. *Eos qui*; et l. *Sancimus*. C. de *Usuris rei judicat.* Concordat textus notabilis in l. *Quod dicimus*. ff. de *Solutione*, ubi dicitur: ly quempiam « debere statim solvere, cum aliquo tempe-

ramento temporis intelligendum est: nec enim cum sacco adire debet. »

64. *Potest tamen iudex hoc quadrimestre ex causa abbreviare, vel prorogare* — Cæterum hoc ipsum tempus quadrimestre potest iudex ex causa rationabili abbreviare, vel prorogare, c. *Quod ad consultationem*. § *Sed nec*. 15. de *Sent. et re judicat.*, juncta l. II. ff. de *Re judic.* Quod si vero iudex ejusmodi tempus judicati, quod est quadrimestre, sine causæ cognitione abbreviet, suppletur illud ex lege usque ad legitimum tempus: si vero detur majus, computatur reo tam tempus legitimum, quam quod est supra legitimum, text. clar. l. *Si se non obtulit*. § *Si quis*. ff. de *Re judicat.* Ratio disparitatis est, quia ex una parte beneficium juris sine causa nulli est auferendum, juxta reg. 17 juris, in 6, quæ sic sonat. « Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum. » Ex altera vero parte prioriores debemus esse in liberando, quam obligando, l. *Arianus*. ff. de *Actione et obligat.*

65. *In actionibus realibus dilationes executoriæ non habent locum.* — Contra in actionibus realibus ejusmodi dilationes executoriæ non habent locum. In his siquidem statim ac reus condemnatus dixerit se velle parere sententiæ (alias post decem dies, si non fuit appellatum), debet sententia executioni mandari, ne videlicet res aliena diutius detineatur invito domino: Glossa in c. *Quærenti*. §. *Quadrimestre*; de *Offic. delegat.*

66. *Limitatur hoc.* — Intellige, nisi reus possessor illius rei neget sese rem illico restituere posse, atque ob id datus fidejussoribus petat aliud tempus restituendi gratia. Tunc enim aliqua dilatio eidem a iudice concedenda est, § *Et si in rem*. Instit. de *Offic. judic.*, ac notat Glossa marginalis in cit. c. *Quærenti*.

67. *Nec habent locum in actionibus criminalibus.* — Insuper in actionibus criminalibus dilationes executoriæ non habent locum: sed post latam sententiam regulariter statim fit executio, can. *Sicut sine iudicio*, 2, q. 1, et l. *Si qua pena*. ff. de *Verb. signif.*, et l. *Cum reis*. C. de *Pœnis*.

68. *Fallit hoc in certis casibus.* — Dicitur « regulariter. » Nam fallit hoc ipsum in nonnullis casibus, quos refert Hostiensis in *Summa*. tit. de *Officio judicis delegati*, n. 9. § *Quæ jurisdictio*. §. *Quamvis*. Primus est, cum princeps forsan iratus jubet aliquem severius puniri ultra modum solitum, ac regularem: tunc enim iudex debet executio-

nem differre usque ad triginta dies, ut videat, an princeps interim pœnam relaxet, l. *Si vindicari*. C. de *Pœnis*, et can. *Cum apud Thessalonicam*, 11. q. 3.

69. *Fallit hoc in certis casibus.* — Alter casus est, cum mulier prægnans damnatur ad mortem: nam ejus pœna differenda est, donec pariat, l. *Pregnantis*. ff. de *Pœnis*. Tertius est, quando servus capitaliter damnatur: nam executio talis pœnæ differtur, donec antea domino, velocius tamen advenienti, per servum illum reddatur ratio administrationis rerum suarum, l. I. c. de *Bonis proscriptor*. Quartus est, cum relegando assignanda primum est insula can. *Biduum*. § *Si quem*. 2, q. 6.

70. *Fallit hoc in certis casibus.* — Glossa finalis in d. can. *Cum apud Thessalonicam*. 11, q. 3, addit quintum casum, in quo differtur executio sententiæ in criminalibus, videlicet quando quis confessus est de crimine capitali: debet enim exspectari, donec appareat, an velit in confessione perseverare, l. II. C. de *Custodia reor*. Idque merito: quia in capitalibus non statim confessioni, donec constet de corpore delicti, et confitens perseveret in ea: posset enim confessio criminis potius ex tædio vitæ, vel desperatione, facta fuisse, quam ex conscientia criminis, l. I. § *Divus*, et § *Si quis ultro*. ff. de *Questionib.* Atque omnes prædicti casus, et tempora præmissarum dilationum apte sequentibus versiculis ab eadem Glossa relatis, comprehenduntur.

In personali post menses quatuor: in re
Protinus est omnis sententia perficienda.
Sic in criminibus: sed casus excipe quinque
Confessus, prægnans, iratus, et insula, servus.

§ IV.

DE PROROGATIONE DILATIONUM, HARUMQUE EFFECTIBUS.

71. *Prorogatio dilationis, quid?* — Quæritur I. Quid sit prorogatio dilationis? et qualis prorogari valeat? Resp. I. Prorogatio dilationis aliud non est, quam extensio dilationis labentis, sed nondum elapsæ. Et talis dilatio sic extensa, seu prorogata, censetur esse eadem cum prima, arg. l. *Sed et sic manente*. ff. de *Precario*; ac notat Maranta, part. IV. *Speculi aurei*, distinct. 12, n. 2, citans alios.

72. *Non fit finito termino prioris dilationis.*

— Additur notanter in data definitione, « sed nondum elapsæ. » Quia, si finito termino prioris dilationis alia detur, jam non fit prorogatio prioris, sed novæ dilationis concessio: siquidem, quod amplius non existit, prorogari nequit. Gailus lib. I, *Practic.* observat. 91, n. 20.

73. *Nequit prorogari prima delatio probatoria.* — Resp. II. Prima dilatio probatoria prorogari non potest. Ita Vallensis, h. t., § 2, n. 1; Pirhing, eod. n. 22; Gailus cit. observat. 91, n. 2, asserens in Camera imperiali, neque secundam, neque tertiam prorogari; et alii. Ratio est, quia post primam talem dilationem superest secunda, et tertia; imo etiam quarta si constet de justo impedimento: atqui dilationes sunt amputandæ, l. II. c. de *Temporib.* appellat; ibi: « Ubique dilationum materias amputantes. » Alioquin enim, si prorogationes singularum dilationum concederentur, jam aliquis in effectu non tres, sed sex, aut plures dilationes habiturus esset: quod juri communi, ipsique æquitati adversatur. Accedit, quod ad extraordinarium prorogationis remedium deveniri non debeat, quandiu superest remedium ordinarium, l. *In causæ cognitione etiam hoc*. 17 ff. de *Minorib.*

74. *Bene tamen quarta ex causa legitima.* — Verumtamen quarta dilatio probatoria, utpote postquam alia non suppetit, prorogari potest; ex causa tamen legitima, et servata solemnitate legali, de qua n. 55, ne alioquin fraus fiat legi, quæ non verbis, sed rebus posita esse debet. Gailus loc. cit. n. 16, et seqq.

75. *Sicut et aliæ a iudice datæ.* — Resp. III. Aliæ dilationes a iudice dari solitæ, v. g. ad contestandam litem, vel ad respondendum libello actoris, possunt ex causa prorogari, seu prolongari; et quidem facilius, quam ut nova dilatio detur, dummodo intra terminum earum prorogatio petatur. Ita Vallensis h. t. § 2, n. 3; Gailus cit. observat. 91, n. 19, asserens hujusmodi prorogationes ex causa quotidie fieri; Pirhing, h. t. n. 22, citans alios. Et merito: quia in prorogatione dilationis censetur unica intervenire dilatio, ut dictum n. 61. Ergo, sicut hanc potest iudex a principio concedere, ita et ex causa prorogare; et quidem facilius, cum prorogando nulla nova concedatur, ut dictum n. 71.

76. *Judex post elapsam prioris dilationis terminum, an possit invita parte alium concedere?* — Utrum autem post elapsam prioris dila-